

44 *Disputatio prima, Art. III.*

Jam non est, aiebat, Lib. 83. q. 17. omne futurum nondum est: omne igitur præteritum & futurum deest: apud Deum autem nihil deest: nec præteritum igitur & futurum, sed omne præsens est apud Deum. Neque jam dubium ullatenus manet quod assertum est, videlicet Deum cognoscere futura omnia instar præsentium.

XXI.
Quare ta-
lis scientia
in Deo vo-
cari solet
scientia vi-
sionis.

Addidi postmodum in assertione hunc cognoscendi modum in causa præsertim esse, cur scientia futurorum Divina dicta sit *scientia visionis*. Et ratio addendi fuit, quia licet generatim omnis intellectio sæpe visio dicatur, visio tamen præsertim dicitur illa, quæ terminatur ad res præsentis, ob id, quòd illa clarior sit omni alià: nihil autem magis clarum, quàm quod videtur, quando agitur de cognitione sensibili; sola verò præsentia sensibilibus videntur: atque hinc translatum est modus ille loquendi, ut illa præsertim, quæ tamquam præsentia intelliguntur, *videri* dicantur. Sic etiam in Scripturis visiones dicuntur revelationes, per quas Prophetis repræsentabantur divinitus futura instar præsentium; unde fiebat ut ipsi futura illa sæpe non per tempus futurum, sed per præteritum enarrarent, quia rem faciendam videbant factam: & eapropter rursus vocabantur *videntes*: nam olim, ut Scriptura refert, 1. Reg. 9. 9. *in Israel sic loquebatur unusquisque videntem consulere Deum; Venite & eamus ad Videntem.* (*Qui enim Propheta dicitur hodiè, vocabatur olim Videns.*) Quanto itaque satius est Deum, per quem Prophetæ fiunt videntes, *videntem* vocari? Et sic omnino convenit scientiam, quam Deus habet de futuris instar præsentium, vocari *scientiam visionis*, ut in assertione fuit obiter additum.

XXII.
Añunt,
quòd si Deus
videret fu-
tura instar
præsentium,
nullam ha-
beret præ-
scientiam.

Objicies primò nullam fore præscientiam in Deo, si Deus cognosceret futura omnia instar præsentium. Ratio est; quia præscientia dicitur de futuris, non de præsentibus: & in hunc mundum futura omnia fuissent à Deo quidem semper scita, sed nunquam præscita, quia fuissent ipsi semper præsentia, nunquam futura. Sed nihilominus admittenda est in Deo præscientia, quam utique Theologi libris multis pertractant, & quam Saceræ Paginæ pronunciant sub expresso vocabulo; uti quando S. Petrus Ep. 2. advenas dispersionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asiæ & Bithyniæ vocat electos *secundum præscientiam Dei Patris*; & quando S. Paulus prædestinatos pariter vocat præscitos, dicens *Ad Rom. 8. 29. Quos præscivit & prædestinavit.* Igitur Deus futura quidem omnia cognoscit, sed illa